

besius *Lib. de Cive Cap. III. & XV.* cum quo haud pauci hodie, vel ipsa religionis specie usi, faciunt. Hi vero, & testificationem Dei de se ipso in natura & gratia quam toties S. literæ citant, re ipsa student evertere & vocem Dei nullam in mente ideam parallelam habere existimant, quod palam pronuntiavit Hobbesius. In hanc sententiam Bodinus *Lib. VI. de abditis rerum Arcanis* scribit Deum nequidem cogitari posse.

VII. Petrus Charronius Prænotationem nobis suppeditat Atheis explicitis opponendam, quod videlicet *Atheismus ex heroica mentis dispositione non oriatur.* Contrarium ille docet, *Lib. de Sapientia, Cap. III. p. 13. 14.* imo tantum & plus etiam ait fortitudinis requiri ad negandum Deum, quam ad illi firma fiducia adhærendum, quod sane turpissimum dictu est. Tandem vero aliquantisper se ipsum corrigit, quando robur istud monstrosum & cum insania conjunctum (*enragé*) appellat. Tantum sane abest ut heroico fortique animo Atheus instructus sit, ut lymphatico furiosoque clathra omnia & claustra perrumpenti simillimus haberi debeat.

PRÆNOTIONES
CONTRA DEISTAS NATURAL. CUSTODIENDÆ.

PRÆNOTIO I. & II.

AB Atheis explicitis ipsoque effectu talibus ad eos proficiscimur, qui potentia implicito-
C₂ que